



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

**Parisiis, 1644**

Concilivm Africanvm I. Generale Svb Innocentio, De reconciliandis  
Donatistis, Celebratum Carthagine, anno 403. VIII. Kalendas Septembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

**CONCILIVM AFRICANVM I.**

**GENERALE**

SVB INNOCENTIO,

De reconciliandis Donatistis,

*Celebratum Carthagine, anno 403. VIII. Kalendas Septembris.*

**A**CTA illius Græce & Latine extant infra in Concilio Africano: Incipiunt sic: *Gloriosissimo imperatore Theodosio Augusto & Rumorido viris clarissimis consulibus VIII. Kalendas Septembris, &c.*

NOTÆ.

Causa  
Concilii.

<sup>a</sup> *Concilium.*] Præcedente Concilio Africano inter alia Decreta fuit legatio ad Romanum pontificem pro assequenda indulgentia, qua Donatistis ad ecclesiam catholicam liceret retinere eandem dignitatem, quam apud suos accepissent: legati itaque Roma reuersi, in hoc Concilio, coram omnibus Carthagine significarunt, quæ ab ipso Romano pontifice Anastasio obtinuissent: quod Aurelius in præfatione insinuare videtur his verbis: *Iamdudum enim, &c.* Pro reconciliandis Donatistis decretum, debere vnumquemque in sua ciuitate Donatistarum præpositos conuenire, vnumque collegam sibi vicinum adiungere, propterea quod (teste Augustino contra Cresconium lib. 3. cap. 45.) Donatistæ laici ab episcopis catholicis conuenti responderent, de fide cum episcopis suis agi debere, seque nostram collationem vehementer optare. Forma conuentionis certa præscripta est, & publicata Canone 59. qua Donatistas catholici conuenire deberent. Sed quæ hæc subsecuta fuerint, Augustinus prædicto loco subdit his verbis: *Factum est, conuenti sunt, recusarunt: quibus verbis, quo dolo, maledictione, amaritudine plenis, nunc longum est demonstrare.* Extat conuentio duorum, Augustini, Proculianum Hipponensem episcopum Donatistarum, & Possidii, Crispinum Calamensem conuenientis. Sed quo illi supercilio & superbia responderint, dici non potest. Non contenti verbis atrocibus & minacibus egisse, Crispinus quidem Possidio insidias per suos tetendit: post aperte insecutus, obsedit, lapidationem fecit, ignem domui iniecit, expugnauit, episcopum contumeliis affecit. Ex his quid alii fecerint, conici potest. Vide Baron. ann. 403. num. 35. 37. & seqq.

Decretum  
Concilii.

Forma col-  
lationis  
cum here-  
ticis præ-  
scripta.

Cur gene-  
rale Conci-  
lium appel-  
letur.

<sup>b</sup> *Generale.*] Sic dictum, quod ex omnibus Africa præuinciis legationes in eo adfuerint, nimirum ex præuincia Byzacena, Mauritania Sitiphensi, & Mauritania Cæsariensi. Ex Numidia vero legati nequaquam mitti potuerunt, ob tumultuantes tirones; vt constat ex verbis Alypii eos excusantis. Baron, num. 35.

*Tumultu tironum.*] Tirones in Africa desertores militiæ facti, more



ANNO  
CHRISTI  
403.

more prædonum longe lateque grassati sunt; adeo vt imperator quatuor rescriptis ad Hadrianum præfectum prætorii hoc anno datis, eos compescere debuerit.

*Conuenimus vos, &c.*] Hæc est illa forma conuentionis singulis præscripta, qua quid Donatistarum præfectos conuenturi, principio conuentionis dicere ac facere deberent, decernitur.

CONCILIVM AFRICANVM II.  
SVB INNOCENTIO

Anno 404. vi. Kalendas Iulias habitum Carthagine, in quo  
contra Donatistas ad Honorium imperatorem  
legatio decreta fuit.

ANNO  
CHRISTI  
404.

EXTAT Græce & Latine infra in Concilio Africano. Initium illius tale est: *Gloriosissimo imperatore Honorio Augusto sextum consule, &c.*

NOTA.

<sup>a</sup> *Concilium.*] Anno 404. Carthagine celebratum est Concilium hanc ob causam: Donatistæ ad pacem & concordiam amice inuitati, fraternam communionem non tantum contempserunt: verum etiam conuenientes se episcopos catholicos, vt supra dixi, armata manu exagitarunt. Vt huic itaque malo remedium quæreretur, decreta est legatio ad Honorium imperatorem, vt is sua auctoritate interposita Donatistarum furorem coerceat & compescat. Legatis in Synodo designatis, in scriptis data est admonitio, quæ Commonitorium dicitur, actisque insertum infra ponitur, vnde quid agendum foret cognoscerent. Vt securitati catholicorum interea temporis consulerent, iudices ad sui patrociniū per literas sollicitarunt. Legatis commendatitias ad Romanos, aliosque episcopos illius loci, vbi imperator moraretur scriptas, addiderunt. Baron. anno 404. num. 123.

Decreta legatio ad imperatorem cur?

CONCILIVM AFRICANVM III.  
SVB INNOCENTIO

Anno 405.

ANNO  
CHRISTI  
405.

EXTAT Græce & Latine infra in Concilio Africano incipit sic: *Silicone iterum & Arthemio viris clarissimis consulibus &c.*

NOTA.

<sup>a</sup> *Concilium.*] Antequam legati præcedente Africano Concilio de Donatista  
Concil. Tom. 4. N